



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Capitvla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO  
CHRISTI  
904.

nunquam deest fidelibus, communi omnium vestrum consultu, fratres carissimi, ea quæ necessaria sanctæ Dei ecclesiæ præuidimus, vna cum spiritali filio nostro, gloriosissimo videlicet imperatore Lamberto & vestro sancto collegio, & quæ nociuo furculo pullulare conabantur in agro sanctæ ecclesiæ, canonico sarculo eradicare studeamus, quæ capitulatim annotata sunt, si omnibus placent, in conspectu omnium legantur, examinentur, & examinata manibus omnium pro futura memoria roborentur, ne vlli vnquam sine status sui periculo eadem violare liceat, sed rata & firma in perpetuum consistant ad statum & munimen sanctæ Dei ecclesiæ, ad saluationem omnium fidelium per Dei misericordiam.

*Responsio.*

Immensas Deo Saluatori nostro laudes referimus, qui talem vos suæ præfecit ecclesiæ eius opportunitatem discernere, vt omne ab ea zizanium eradicare conemini, pro ut in hac sancta Synodo cunctis nationibus apertis declaratur iudiciis. Capitula etiam quæ pro generali omnium cautela ad robur & munimen sanctæ ecclesiæ conscripta sunt, si vestra placet pietati, legantur, qualiter per ea omnes doceamur, quæ obseruare, vel quæ cauere debeamus, ne in aliquo a regulis sanctorum patrum (quod Deus auertat) deuiare inueniamur.

C A P I T V L A.

I.

Si quis sanctorum patrum regulas contempserit, & gloriosissimorum imperatorum Caroli videlicet Magni imperatoris, & Ludouici atque Lotharii, nec non & filii eius Ludouici, quæ de ecclesiasticis decimis in eorum capitularibus statuta atque sancita sunt, non obseruauerit: & qui dat & qui recipit, auctoritate sanctæ sedis apostolicæ, & sanctione sanctæ Synodi excommunicationi subiaceat.

*Concil. Tom. 24.*

Vuuu

*Imperator autem ista seruanda proposuit.*

## II.

Si quis Romanus, cuiuscumque sit ordinis, siue de clero, siue de senatu, seu de quocumque ordine, gratis ad nostram imperialem maiestatem venire voluerit, aut necessitate compulsus ad nos voluerit proclamare, nullus eis contradicere præsumat, & neque eorum res quispiam inuadere, vel deprædari, aut eorum personas in eundo vel redeundo, vel morando, inquietare præsumat, donec liceat imperatoriæ potestati eorum causas, aut personas, \* aut per missos nostros deliberare. Qui autem eos inquietare, eundo, redeundo, vel morando, tentauerit, vel eorum quidpiam rerum auferre: postquam per nostram misericordiam se proclamauerint, imperialis ultionis indignationem incurrat.

\* f. deest  
aut per  
nos,

## III.

Vt priuilegium sanctæ Romanæ ecclesiæ, quod a priscis temporibus per piissimos imperatores stabilitum est atque firmatum, ita nunc a nobis firmetur, & diebus nostris, sicut condecet, immutatum seruetur, & sancta Romana ecclesia mater nostra exaltetur, protegatur, ac defendatur, quoad imperii nostri est.

*Pontifex his subiicit ista.*

## IV.

Approba-  
tur Syn-  
odus habita  
in causa

Vt Synodus, quæ vestris temporibus in basilica beati Petri apostoli pro nonnullis malis eradi-

ANNO  
CHRISTI  
904.

candis, & maxime pro causa domni Formosi sanctissimi papæ acta est, vestro imperiali consensu, & venerabilium episcoporum & optimatum vestrorum roboretur, ac perpetualiter stabilita seruetur. Quæ non inuidiæ zelo, sed rectitudinis gratia canonicè peracta.

Formosi  
papæ.

V.

Vt tantæ impietates, pro quibus nos ad vos venissemus, quas etiam per territoria nostra vidimus in tractationibus, deprædationibus, incendiis, rapinis & violentiis, a vobis diligentissime inquirantur, & prout necesse est legaliter emendantur: quoniam tanto dolore percussi sumus talia contemplantés, quod magis mori cupieramus, quam talia in nostris diebus \* cernissemus, de quibus, si emendata non fuerint, vos & nos a summo iudice distincte quæremur. Ideo petimus, & per Christum Dominum adiuramus, vt talia impunita non dimittatis.

\* al. cre-  
uisc-  
mus,

VI.

Vt pactum, quod a beatæ memoriæ vestro genitore domino Vvidone, & a vobis piissimis imperatoribus, iuxta præcedentem consuetudinem factum est, nunc reintegretur, & inuiolatum seruetur.

VII.

De locis autem atque rebus, quæ in eodem pacto continentur, præcepta nonnulla illicita facta sunt, quæ petimus vt in eadem Synodo terminentur, & quæ non rectè facta præcepta sunt, corrumpantur.

VIII.

Vt patrimonia, seu suburbana, atque massæ &

Concil. Tom. 24.

Vuuu ij

colonitiæ, nec non ciuitates quæ contra rationem, quasi per præcepta largita sunt, petimus reddantur, ipsaque . . . . .

ANNO  
CHRISTI  
924.

## IX.

Vestræ igitur maiestati non manet incognitum qualiter illicitas coniunctiones Romani & Longobardi, simul & Franci, contra apostolicam & imperialem voluntatem, facere præsumpsere in territoriis beati Petri apostolorum principis: petimus, vt sicut a vestris antecessoribus imperatoribus prohibitum est, ne quoquo modo fierent, ita amodo vestro Augustali decreto omnimodis prohibeantur, & synodaliter, ne amodo ac deinceps fieri tententur, in perpetuum firmiter statuatur atque firmetur.

## X.

De hoc sane præ omnibus condolemus, quia ad tantum apostolicum culmen gratia Christi prouecti, cum ecclesiam Domini Saluatoris, quæ Constantiniana vocatur destructam cerneremus, direximus pro illius aliqua restauratione ad trabes incidendas; sed qui directi sunt a nobis, quæ necessaria erant, ob malitiosorum hominum infestationem, facere nullo modo valuerunt. Super quibus omnibus, carissime fili, videte nobiscum, & quantum sit indecens, quantamque violentiam sancta mater Romana ecclesia sit passa, medullitus considerate: & vt amodo & deinceps vestro imperiali studio ad optatum vigorem perducatur, sicut dilectissimus eius filius & imperator submissimus, operam date. Sed hoc scire vos volu-

In quem  
statum red-  
acta Roma-  
na ecclesia.

ANNO  
 CHRISTI  
 904.

mus, quoniam sancta Romana ecclesia tantum est ad nihilum deducta, quod & eleemosynæ, quæ pauperibus pro sospitate vestri imperii distribui solebant, & stipendia clericorum ac famulorum eius omnimodis sunt euacuata: pro quibus vero ad stabilitatem imperii vestri magis vos oportet cum vestris fidelibus prudenter tractare, vt sicut prædiximus, alicui restorationi ipsius, quæ nimium est afflictæ, operam detis.

*His lectis, papa ad episcopos conuersus sic perorat:*

Quia vestra omnium fraternitas concordæ voci sibi placere profitetur quæ Christi Dei nostri gratia inspirante præfiximus: hortamur vt secundum debitam sollicitudinem commissæ sibi a Deo ecclesiæ curam vnusquisque vestrum agere studeat, & gregem Christi sanguine redemptum bonis exemplis ac salutaribus documentis instruat, habens semper præ oculis illum tremendum iudicem, qui suum sacratissimum sanguinem pro omnibus fudit, vt cum ante ipsius tribunal steteritis, vnique vestrum dicat: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra* Matth. 25. *multa te constituam: intra in gaudium domini tui.*

Cumque Deo auxiliante ad propria veneritis, ieiunium indicite, litaniam celebrate, rogantes & obsecrantes pium & misericordem Dominum, vt furorem mitiget, iram a populo auertat, pacem tribuat, schismata & seditiones comprimat, discordiam auferat, retroacta peccata tergat, & miserando aboleat; quatenus indultis omnibus delictis misericordiam rogantibus largiatur, & ad protectionem & exaltationem sanctæ suæ ecclesiæ spiritualem filium nostrum, excellentissimum scilicet imperatorem Lambertum, conferuet, & superbarum gentium illi colla subiiciat sua potenti dextera Iesus Christus Dominus noster, cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.